Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3139
Quelle:
Copyright:

ruptis vocabulis hebraicis et graecis *Hel*, *Theu*, *Homoj*, *Genitheos*, *Phobos* &c. adeoque superstitionem olens, cujus initium:

Deus pater piissime
Christe iheſu dulcissime
Christus clementissime

Non est deus rex preter te
Tu habitas o domine
Incircumscripto lumine &c.

A *fol.* 28. sequuntur Orationes ut plurimum e *Missali* acceptae de Festis Domini et SS. deque Diebus Dominicis, usque ad *Fol.* 48. quo incipit *Officium* de B. V. notis etiam musicis nitide instructum, eoque absoluto *Psalterium in honore beate marie*, diversum ab eo, quod inter *Bonaventurae* Opera legitur. Tandem *fol.* 116. *Preces* pro Moribundis et *Officium* pro Defunctis *Codicem* terminant. Membranis tamen eum ambientibus variae itidem Precationes a coaeva, sed non tam elegante manu adscriptae sunt.

DCCCXCVII.

1 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 65. f. max. in usum quondam *Friderici* III. Imp. splendide conscriptus. Insunt varii *Psalmi* ex Davidicis, *Hymni ac Preces* ad Deum, B. V. aliosque Coelites adjecta interpretatione germanica Orationis dominicae, Salutationis angelicae, et Symboli Apostolorum. Salutatio angelica definit in haec verba: *Fructus ventris tui Jesus Christus. Amen.* Nondum enim ea aetate adjuncta erat precatio illa: *Sancta Maria* &c. Qua de re videndus *Mabillonius Praef.* ad *Sec. V. Annal.* O. S. B. n. 123. Praeit omnia haec Calendarium, in quo ad diem VI. Martii nomen *S. Friderici Conf.* et ad diem XV. Apr. nomen *S. Helene Regine* literis miniatis consignatum est. Dederat namque *Nicolaus* V. P. Rom. *Eleonorae Lusitanae Friderici* conjugi potestatem nomen mutandi, seque *Helenam* adpellandi, cujus rei testes pontificiae literae in Tabulario *Oenipontano* existunt. In Psalmis nihil animadversione dignum. Ex Hymnis et Precibus adparet, quorum SS. fidei et tutelae se *Fridericus* praecipue commendaverit; nimirum *S. Servatii*, *Aegidii*, *Georgii*, *Leonhardi*, *Christophori*, *Virgilii*, *Barbarae*, *Bartholomaei*, *Floriani*, *Helenae*, *Wenceslai*, *Johannis Apost. Apolloniae*, *Petri Apost. Andreae Apost. Nicolai*, *Ambrosii*, *Karoli M. Imp. Stephani Regis et Conf. Ladislai et Emerici Regum*, *Colomanni*, *Martini*, *Erasmi*, *Tiboldi*, *Maximiliani*, *Adriani &c.* Quorum omnium nomina Litaniis quoque majoribus intexta ibi sunt, et aliorum praeterea, puta: *Morandi Conf. Henrici*, *Sigismundi*, *Conradi* &c. Porro ad usum *Friderici* Imp. psalmodicum hoc volumen exaratum fuisse probant hae Orationes:

Fol. 25. pag. 2. *Deus regnorum et cristiani maxime protector imperii da seruo tuo friderico triumphum virtutis tue scienter excollere*

ut